

www.e-rara.ch

Io. Danielis Schoepflini ... Vindiciae typographicae

Schöpflin, Johann Daniel

Argentorati, 1760

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRf 47 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-29512>

Caput X. Gutenbergii successores Argentinae usque ad sec. XVI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPUT X.

*Gutenbergii Successores Argentinae usque
ad Sec. XVI.*

§. I.

DE primis Gutenbergii Argentorati sociis eorumque successoribus supra obiter differui; (i) nunc de singulis agendum distinctius, ut Argentinenfium typographicæ origines & progressus eo melius intelligantur. Primarius sane locus debetur Mentelio.

Menteliam, (k) Alfatia gentem, ex Rhætica Nobilitate derivat JACOBUS MENTELIUS. (l) De prima gentis origine non equidem disputo. Id autem ex scriniis Argentinenfibus disco, Selestadii, Molshemii atque Andlaviae olim habitasse Mentelios; ordinis plebeji, ex quibus Argentinenfis noster haud dubie prognatus. Prima certe vitæ ejus conditio nobilitatem non sapuit. Fuit enim aurarius & miniarius scriba; Calligraphus inter Notarios Episcopi receptus. (m) Ars literas scribendi atque pingendi

Jo. Mentelius.

(i) Cap. IV.

(k) Nomen Joannis Mentelii vernacule *Mentel*, *Mentele* & frequentius *Mentelin* scribitur.

(l) In *Parænese*, de qua supra Cap. V. §. 7. In libro hoc pag. 101. sq. ait, oppidum, Menteliorum de nomine appellatum, in Rhætia extare, in quo gentis illius primores olim dominati sint.

(m) Extant adhuc hinc inde instrumenta a Jo. Mentelio Notario confecta.

occafionem ei dedit, ut Gutenbergio & fociis innotefceret brevi, atque adeo animum ad typographiam converteret.

§. 2.

Ætas ejus. Prima Mentelii mentio in Rationali Gabelle vini (n) Civitatis noſtræ a. 1447. occurrit, ubi *Chryſographus* (o) appellatur. Eodem anno (p) in numerum Civium Argentinae receptus, in tribum tranſivit Pictorum. Tum vero typographicam artem haud dubie tractare jam cœperat. Quot annis enim opus, ut eam perficeret. Habitavit in ædibus, quarum inſigne fuit *Spiritus*; ſed ignota platea. SPECKLINUS (q) tradit, eum habitaffe in domo, cujus inſigne *Vivarium*, prope Aulam Epifcopi. (r) Ex Regiſtro Stabuli Civitatis patet, Mentelium a. 1473. & ſequentibus equum publicum ſua pecunia aluiſſe. Opulentiam ejus, ut ſupra oſtendi, (s) WIMPHELINGIUS prædicat.

§. 3.

Ingenium. Ingenium & induſtriam ejus, quibus opes ſibi paravit, ingens voluminum impreſſorum & numerus & moles teſtantur. GEBVILERUS, Eggenſteinio præ aliis eum familiariter uſum eſſe tradens, (t) hæc inſuper refert: “ Con-

(n) *Helbeling-Zollbuch* ſub rubro: *Goltsmide*, in Document. Num. VII.

(o) *Herr Johans Mentele, Goltſchriber.*

(p) Tertio die poſt Quafiſimodogeniti &c.

(q) In *Chronico* Mſ. apud SCHILTER. in not. ad *Kœnigshov.* pag. 442.

(r) *Zum Thiergarten am Fronhoff.*

(s) Cap. III. §. 12.

(t) Vide ſupra Cap. III. §. 8. in notis.

„ speximus & libellum Joannis Mentelii manu scriptum,
 „ ac multis figuris instrumentorum ei arti necessariorum
 „ depictum. Item de atramento conficiendo elegantissima
 „ præcepta; quæ monumenta Jo. Schottus, Argentinensis,
 „ & doctrina & hac arte celebris, prædicti Jo. Mentelii
 „ ex filia nepos, hodie penes se illæsa retinet.”

§. 4.

Jo. Mentelii in parentes pietatem duo anniversaria demonstrant, quæ ille in choro & in parochia S. Laurentii, in summo templo, quotannis celebranda instituit. (u) Quin & a. 1473. lapideam tabulam formæ quadratæ oblongæ in ædis D. Guilielmi peristylio Mentelius posuit, (x) in quo non modo parentum, sed & uxorum ejus, fit mentio. En lapidis inscriptionem:

MEMORIA. JOHANNIS

MENTELIN. CIVIS. ARGENT.

PARENTUM. SUORUM. NICOLAI

ELYZABETH. MAGDALENE. PRIME. UXORIS

ET. LIBERORUM. SUORUM. NEC. NON. ELYZABETH. DE

MATZENHEIM. (y) UXORIS. SUE. SECUNDE.

ANNO DN̄I. M. CCCC. LXXIII.

(u) A. 1474. XII. Kal. Julii 20. libras denar. dedit ad reditus annuos unius libræ denar. in usum chori. Die autem XI. Kal. Julii ejusdem anni in S. Laurentii parochia anniversarium fundavit. *Kalendar. Summi Templi.*

(x) Unde in Aulam meam antiquariam transivit.

(y) SCHILTER. in *Observat. ad Kœnigshov. pag. 451.* monumentum hoc memorans pro Matzenheim *Watzenheim* ponit.

§. 5.

Insignia.

Duo anguli superiores lapidis duo insignia continent, Leonem coronatum & Baltheum transversum. Hic Matzenhemia gentis clypeus fuit; (z) ex qua uxor secunda, Elisabetha, tum vivens, prodierat. Baltheus Mentelianus, Baltheo Civitatis Argentinensis, quem duo parastatae leones sustinent, similis induxit Schilterum, ut insignia urbis monumento huic insculpta existimaret.

Leo autem a Friderico IV. Imp. pro insigni gentilitio a. 1466. Mentelio datus est, ut JAC. MENDELIIUS (a) scribit. Non opus est ergo, ut Leonem heic parastatam otiosum faciamus; nec parastata profecto potest appellari, qui ab altera lapidis extremitate solus comparet, quod artis heraldicæ regulis repugnat. Ceterum ipsa hæc insignia, a Cæsare accepta, ostendunt, Mentelium antea nulla habuisse, adeoque ortu suo non fuisse nobilem. Jac. Men-

(z) HERZOG. *Chron. Alsat. Lib. VI. pag. 193.* Matzenhemia gens cum Johanne a. 1530. extincta est.

(a) In *Paranesi pag. 102. sqq.* ubi jactat Fridericum Imp. non nova hæc Mentelio dedisse insignia, sed vetera tantum auxisse. Adde ejusdem MENDELII *Excursum de Inv. Typogr. ad Nau-deum p. 7.* In utroque Scripto insignia exhibentur æri incisa, cum hac perigraphæ: *Insigne Schottorum familia ab Friderico Rom. Imp. Joanni Mentelio primo typographia inventori ac suis concessum anno Chr. MCCCCLXVI.* Ita Joh. Schottus, Mentelii ex filia nepos, Onomastico Ottonis Brunfelsii, a. 1543. a se impresso, ea præfixit. Insignia hæc per filiam Mentelii transire potuerunt ad Schottos, Cæsaris permisso. At Imperator nec in diplomate, nec in inscriptione diplomatæ Mentelium artis inventorem appellavit.

telius afferit, sed non probat, Imperatorem Joanni Mentelio vetera tantum renovasse insignia.

§. 6.

Obiit Mentelius a. 1478. & in summo templo sepultus Mors. est, ut ex libro Pulsuum (b) ejusdem Ecclesiæ docemur. Ita enim ibi legimus: "Obiit Dominus Johannes Mentelii Impressor Sabatho post Conceptionem Virginis Mariæ a. MCCCCLXXVIII. & factus est ei pulsus cum campana magna, Dominica sequenti de sero. (c)

Filium Mentelius nullum, quod novimus, (d) sed duas Liberi. filias reliquit, quarum una, Salome, Adolpho Ruschio, Ingvilano, civi & typographo Argentinensi, de quo infra; altera Martino Schotto, typographo quoque, nupsit.

SPECKLINUS noster (e) Mentelii affinem constituit Petrum Schœfferum, qui matrices invenit. Sed ejus relatio falsa.

(b) *Glocken-Läutung vor die toden.*

(c) JAC. MENTELIUS de *Typograph.* pag. 93. postremas duas Inscriptionis hujus voces omittit, ut & SCHILTERUS pag. 451.

(d) Monumenta nihil produnt de filio; quem si reliquisset, typographiam patris occupaturus fuisse videtur. JAC. MENTELIUS ille Castro-Theodoricianus in *Paranesi* sua pag. 102. proavum suum appellat Joannem, qui ex Allatia ad Castrum Theodorici in Galliam a. 1548. migraverit. Addit, Joannem hunc ordine quartum a nostro Mentelio fuisse, cui typographiæ inventionem adscribit. At Genealogiam hanc Auctor non probat; qui forte a fratre aut consanguineo quodam Mentelii, typographi nostri, descendit.

(e) In *Chron. MS.* apud SCHILTER. ad *Kœnigsbov.* pag. 442.

§. 7.

Henricus
Eggestein.

HENRICUS EGGESTEIN, Magister Artium, (f) Vicarius summi Chori & Episcopalis Curia Argent. Sigillator, (g) origine Argentinensis, a. 1442. inter cives receptus & in laterculo civium Constaverii subjunctus est. (b) A. 1451. Agnetem, Michaëlis Ochfensteinii sororem, sibi matrimonio junxit. Habitavit in platea, cui a *Virginibus* nomen. (i) Occulta ei aliquandiu cum Jo. Mentelio typographica societas fuit. (k) Libros ab Eggesteinio impressos supra indicavi. (l)

§. 8.

Adolphus
Ruschius.

ADOLPHUS RUSCHIUS, Ingvilla, Dynastia Ingvilanæ oppido, (m) ortus, civitate Argentinensi donatus, Mentelii filiam, Salomen, præstita in typographia operæ præmium, uti Petrus Schoefferus Fausti filiam, in matrimonium accepit. Successit ergo in officina focero, quod WIMPHELINGIUS (n) & HEDIO (o) testantur. Codices tamen impressos, Ruschii nomen præferentes, non novi. Habitavit in ædibus, quarum signum erat *Imago*, in strata

(f) Unde in notitia libris subjuncta *M. Henr. Eggestein* legitur.

(g) *Bischofflicher Insigeler.*

(b) *Unter die Nach-Constofeler.* Ante Mentelium itaque toto quinquennio factus est civis.

(i) *Jungfrauen Gass bey S. Stephans plan.*

(k) Vide supra Cap. III. §. 8.

(l) Cap. IV.

(m) De quo *Alsatia Illustr. Tom. 2. pag. 223.*

(n) *Epit. Rer. Germ. Cap. LXXV.*

(o) *Paralipom. ad a. 1446.*

superiore. (p) Salome Rufchia, post mortem mariti, Philippo Sturmio a Sturmeck, viro nobili, nupsit, obiitque a. 1518. *Rauschenburg* castrum, haud procul Ingvilla situm, a Rufchio hoc forte nomen accepit; unde typographiæ ibi inventæ fama surrexit. (q)

§. 9.

MARTINUS SCHOTTUS, Friderici Schotti, Sculptoris Statuarii & Civis Argent. filius, Joannis Mentelii filiam anonymam duxit uxorem; ex quo matrimonio Jo. Schottus prodiit, illustris typographus. *Martinus Lascubratiunculas* PETRI SCHOTTI, Canonici ad Juniorem D. Petri Ecclesiam, a. 1498. procurante Wimphelingio impressit. Petrus hic, magna eruditione apud Gallos Italosque parata, juvenis decessit.

Martinus Schottus.

§. 10.

JOANNES SCHOTTUS, Martini filius, Jo. Mentelii per filiam nepos, civis & typographus Argent. habitavit primo in Angiportu Thomano; (r) dein Prussio defuncto in ædibus, quarum insigne *Vivarium*. (s) Moris tum erat, domos per insignia distinguere, quod adhuc Basileæ & alibi in usu. In frontispicio librorum Schottus Jo. Sco-

Johannes Schottus.

(p) *Zum Bild, in der obern strassen*. At auctor anonymus Chronici Argent. Specklinus & Schadaeus domicilium ei adscribunt *Lustrum, zum Thiergarten*, ubi Prussius dein habitavit.

(q) Vid. *Alsat. Illustr. Tom. 2. pag. 237*.

(r) *Thomans-Loch*, ad urbis pomeria, in domo, cujus insigne *zum Jung brunnen*.

(s) *Zum Thiergarten*, e regione Palatii Episcopalis, in extremitate aræ majoris Ecclesiæ.

tum subinde se vocat. Antequam Argentorati confideret, Friburgi & Basileæ typographiam exercuit, testibus libris, quos ibidem impressit. (t) Argentorati vero anno 1510. *Symmachi Epistolas*, & triennio post *Ptolemæi Geographiam* Latine, typo formaque præstanti, curantibus Jacobo Eszlero & Nic. Ubelino, Argentinensibus, excudit. Repetita hæc editio a. 1520. cura Georgii Ubeli, Guilielmo Episc. Argent. a secretis. In utraque elegantes Geographicæ mapæ ligno incisæ sunt. Has denique secuta est Gruningeri editio, de qua infra. A. 1514. *Enchiridion Poëticum*, quod ipse conscripserat, nec non *Plauti Comædias IV.* cum præfatione Philelii Vogesigenæ & Plauti vita excudit. Idem Jo. Schottus bis impressit *Hutteni Expostulationem*, librum hodie perrarum, in quo Erasmus, cum male habitus esset, de Schotto apud Magistratum Argent. querelas movit. (u) Huttenus Expostulationi suæ imaginem Lutheri, Erasmi, suamque præfixerat.

§. II.

Georgius
Hufner.

GEORGIUS HUSNER, præter *Nideri Opus*, quod supra indicavi, (x) *Hugonis quoque de Prato Florido Sermones Dominicales* super Evangelia & Epistolas, a. 1476. in fol.

(t) Inter hos *Margarita Philosophica* mihi ad manus est, Friburgi & Basileæ a. 1503. & 1508. per Johannem Schottum Argent. edita. In editionis prioris legitur fine: "Chalcho-graphatum primiciali hac pressura Friburgi per Joannem Schottum Argent. citra festum Margarethæ anno gratiæ M. CCCCC. III." In editione posteriore: "Tertio industria complicum Michaëlis Furterii & Joannis Scoti studiofissime pressa. Basileæ ad 14. Kal. Martias. Anno Christi 1508.

(u) In libro, quem *Spongiam* inscripsit, *Operum Erasmi Tom. X.*

(x) Cap. IV. §. 13.

impressit, pro Georgio *Jeorium* se vocans. Maittairius, Orlandius, Marchandus & Schwarzius *Leorium* nominarunt.

§. 12.

MARTINUS FLACH, Basiliensis origine, Ruschio in Menteliana typographia successit, ut Wimphelingius testatur & Hedio. Jus civitatis a. 1472. Argentinae adeptus est. Latine *Flaccus* appellatur. Post *Roderici Speculum*, a. 1475. editum, (y) *Alexandri Grammatica* a. 1488. & *Alberti*, Episcopi Ratisbonensis, *Traclatus de Virtutibus* a. 1498. aliaque ex officina ejus prodire.

Martinus
Flach.

Patrem ejusdem nominis filius in officina typographica ineunte seculo XVI. excepit, dictus in libris *Junior*. Anno 1501. *Matthie Granarii* vel *Schurerii*, celebris deinceps apud Argentinenses typographi, *Grammaticam novam* 4°. & *Anselmi*, Archiepiscopi Cantuar. *Opuscula* fol. publici juris fecit. Anno sequenti *Angeli de Clavasio Summam Angelicam*, post iteratam a patre ejusdem impressionem, de novo excudit, quartamque *Gersonis Operum* partem tribus prioribus, quas pater ediderat, adjecit.

Filius.

§. 13.

JOHANNES PRÜSS. Duo quoque hujus nominis typographi Argentinenses fuere; pater & filius. Ille *Rolevinckii Fasciculum Temporum* fol. minore, & *Dictionarium Latino-Germanicum* 4°. a. 1488. postque alios magno numero libros a. 1504. *Pici Mirandulani Opera* cum præfatione Hier. Emferi ad Jo. Prüss, *Argentinum Chalcographum*, &

Jo. Prüss.

(y) Vid. ibidem.

Roderici Speculum vite a. 1507. in fol. impressit; in cujus fine hæc legimus: "Joh. Botzhemus abstemius, D. D. Jac. Wymphelingius Selestadiensis patria, L. Symphorianus Pollio sacerdos recognoverunt. Joh. Prys, civis Argentinus, in ædibus Lustri, vulgo *zum Thiergarten*, impressit ad morem gerendum generoso Domino Philippo, Domino in Duno & Lapide superiore, (*Oberstein*) Argentinensis ecclesie Preposito, & ad preces Pauli Burger ejusdem summisarii. Pridie idus Januarii anno salutis MDVII.

Jo. Prussius junior *Alexandri Galli Grammaticam* 4°. anno 1513 impressit.

§. 14.

Renatus
Beck.

RENATUS BECK. Duplex officina typographica in ædibus *Lustri* seu Vivarii uno eodemque tempore fuit. Ad Prussios una, ad Renatum Beck altera spectavit. De hoc testantur *Vocabularium*, *Gemma gemmarum*, a. 1512. & *Mantuanæ Bucolica* a. 1517. 4°. a Renato Beck *zum Thiergarten* excusa.

§. 15.

Matthias
Hupfuff.

MATTHIAS HUPFUFF, typographus Argentinensis haud ignavus, cui plurium librorum editio a. 1498. & sequentibus facta debetur. Inter hos Doctorum Parisiensium *Tractatulus medicinalis* ad Regem Angliæ 4°. superest, in quo *Matthias Hupfuff*, nomen ejus scribitur.

§. 16.

Marcus
Reinhardt.

MARCUS REINHARDI. A. 1480. *Guidonis de Monterochero Manipulum curatorum* 4°. & a. 1482. *Biblia Latina vulgata*

vulgata fol. minore imprefferunt *Marcus Reinbardi de Argentina* ac *Nicolaus Phillippi de Benzsheym* (z) socii. Biblia hæc, typis fufis minusculis, sed elegantibus exarata, literis initialibus impressis & custodibus instructa, perfectum opus typographicum, paginarum tantum numeris carent. Eodem hoc anno typographos hos *Argentina Lutetiam* migraffe, *MAITTAIRIUS* (a) annotavit.

§. 17.

JO. GRUNINGERI proprium nomen fuit *Reinbart*, patria *Jo. Gruninger.* *Gruninga*, *Wirtenbergici Ducatus* oppidum, unde vulgo *Gruninger*, *Grieninger*, *Gruningensis* est dictus, uti *Marcus Reinbardi*, discriminis causa, *de Argentina* se dixit. Anno 1483. *Comestoris Historia Scholastica per Jo. de Greningen & Henr. de Ingvilier* in fol. prodit *Argentorati*. In *Jordani de Quedlinburg Sermionibus de Sanctis*, quos anno sequenti impreffit, *Job. de Gruningen impressorie artis Magister* appellatur. (b) A. 1496. & 1498. ex prelo ejusdem *Terentius & Horatius* prodierunt forma majore, cum notis & figuris ligno incisis. In calce *Terentii* legitur: "Impressum in Imperiali urbe libera *Argentina* per Magistrum *Jo. Gruninger* accuratissime nitidissimeque elaboratum & denuo revisum atque collectum ex diversis commentariis anno incarn. Dom. millesimo quaterque centesimo nonagesimo sexto. Kal. Nov.

Horatius ita inscribitur: *Horatii Flacci Venusini Poete lirici opera* &c. In calce: "Elaboratum impressumque est hoc

(z) *MAITTAIRE Annal. Typogr. tom. I. pag. 164. edit. prioris, & pag. 429. edit. poster. pro Benzsheym male Gernsheym.*

(a) *Lib. alleg. tom. I. pag. 148.*

(b) *MAITTAIRE Annal. Typograph. edit. poster. pag. 456.*

» elegans, ornatum, splendidum comptumque Horatii
 » Flacci Venusini, lyrici Poete, opus, cum utilissimis ar-
 » gumentis ac imaginibus pulcherrimis, in celebri libera
 » imperialique urbe Argentina, opera & impensis, sedulis
 » quoque laboribus providi viri Johannis Reinhardi, co-
 » gnomento Gürniger (sic) civis ejusdem urbis Argenti-
 » nensis, quarto idus Marcii, absolutum vero Anno Dom.
 » M. CCCC. XCVIII.

Præmissum est epigramma Jacobi Locher, Philomusi,
 Poëtæ laureati, qui in Friburgensi gymnasio docens, opus
 istud direxit, atque Carolo, Marchioni Badensi, dedicavit.

§. 18.

Editio Pto-
 lemaei.

Idem *Ptolemæi Geographiam*, Bilibaldo Pirckeymhero inter-
 prete, cum tabulis geographicis ligno incisis, a. 1525. Ar-
 gentorati impressit. In hujus libri colophone legitur: "Ar-
 » gentoragi Johannes Grieningerus communibus Johannis
 » Koberger impensis excudebat, anno a Christi nativitate
 » MDXXV. tertio Kal. Apriles." Pro *Argentoratum* Wim-
 phelingius subinde scripsit *Argentoracum*. Eadem forma
 Matthias Schurerius, typographus, quandoque usus est.
 Gruningerus non sine consilio posuit *Argentoragi*, ut nomen
 hoc *Brocomago* assimilaret. Singula Ptolemæi hujus folio-
 rum latera figuris, affabre ligno incisis, exornata sunt. Im-
 pensæ in librum faciendæ fecerunt, ut socium assumeret
 Johannem Kobergerum, qui alias Coburger vocatur, No-
 ribergensem typographum illustrem, qui per omnem Ger-
 maniam bibliopolia instituit, librosque innumeros maximæ
 molis & impensæ vulgavit. Gruningeriana hæc Ptolemæi
 editio longe præstantior est præcedentibus, quas Jo. Schot-
 tus a. 1513. & 1520. Argentorati quoque dederat. Geo-

graphicis tabulis præfationes sunt additæ, quarum auctor Jo. Muller Regiomontanus esse creditur; insignis ille Mathematicus, de quo superius jam actum. (c) Koburgerus ex manuscriptis Regiomontani ea, quæ Ptolemæum respiciunt, Gruningero nostro communicasse videtur; unde societatis eorum origo. Decennio post Michaël Servetus, sub nomine Mich. Villanovani, Ptolemæi Geographiam edidit Lugduni, in qua pleraque præfationes Gruningerianæ editionis adhibuit, paucis de suo adjectis. Præfationes tamen hæ ex Serveti calamo fluxisse tam certo credebantur, ut judices ejus ex illis loca desumerint, quibus eum impietatis accusarent in Mosen. Accusationem facile retulisset Servetus, si plagiarium ingenue se fuisset professus. At eum ab initio quidem auctorem se loci, ubi de Mose est sermo, negasse, postea vero defensionem ejus in se suscepisse, scribit CALVINUS. (d)

MARCHANDUS (e) XLV. Volumina, pleraque majoris formæ, quæ ab a. 1483. usque ad 1527. Gruningerus impressit, ordine temporis enumerat. His tamen e Bibliothecis Argentinenfibus addere non pauca possem, ita ut ex omnibus Argentinenfium typographis annorum & laboris, in officina consumtorum, multitudine Gruningerum superaverit nullus.

(c) Cap. I. §. 6.

(d) MOSHEMIUS in *Hist. Serveti* pag. 162. sqq. qui & ipse credit, præfationes has opus fuisse Serveti. Contrarium tamen ex collatione editionis Gruningeri cum Servetiana elucet. Collationem instituit Vir literati ingenii, JOH. MARTINUS PASTORIUS, Jureconf. Doctor Argentinenfibus, quæ extat in *Miscellaneis Lips. Novis Vol. X. Part. 2. pag. 274.*

(e) *Dictionnaire Historique* pag. 289.

§. 19.

Henricus Knoblochzer. HENR. KNOBLOCHZER varios libros atque libellos Germanici idiomatis, ut *Processum Judicarium*, *Belial* dictum, cum figuris a. 1478. (f) *Ordinem Judicarium* anno 1482. *Calendarium*, ex Germanicis primum, cum annotationibus a. 1483. aliosque Argentorati in lucem emisit. (g)

Jo. Knobloch. Filius ejus fuisse videtur JOH. KNOBLOCH, nomine paululum ad euphoniā mitigato. A. 1500. *Apologeticum Gregorii Nazianzeni & Marfilium Ficinum de triplici vita*; anno 1507. *Seb. Brand Elegiam* in mortem Philippi, Regis Castellæ, filii Maximiliani I. Imperatoris; anno 1513. *Jo. Adelphi*, *Physici Argent.* *Hymnos de tempore & de Sanctis* 4°. anno sequenti *Jo. Gersonis opera* quatuor tomis in fol. impressit, Wimpelingio curante.

§. 20.

Schurerius. MATTHIAS SCHURERIUS, patria Selestadiensis, liberalium artium Magister, Thomæ Wolphii amicissimus, (b) amicus quoque Erasmi, (i) optimos & selectos antiquitatis libros ex prelo suo emisit, numero sat magno, qui omnes tamen ad seculi XVI. initia pertinent. Indicavi superius *Grammaticam* Schurerii, sub *Granarii* nomine laten-

(f) De quo supra Cap. IV. §. 14.

(g) In libro a. 1484. edito, cujus tit. *Tucher von Nurnberg wie man sich halten sol der zu dem heil. grab uber mer faren wil*; fol. typographus noster *Heinrich Knoblitzer* vocatur.

(h) Teste WIMPHELINGIO in *Rer. Germ. Epitome* Cap. 65.

(i) Qui quanti eum fecerit, ipse perscribit ad Wimpeling. in epistola *Commentariis* suis de *Verborum ac rerum copia*, anno 1514. a Schurerio impressis, subjuncta.

tis, a. 1501. datam in lucem. (k) Postea Typographus factus libro a. 1508. a se impresso, quo *Athanasii* opusculum in *Psalms*, *Enchiridion Epiſteti* & *Tabula Ceбетis* continentur, quæque Thomas Wolphius junior collegit, hæc in fine adjecit: "Mathias Schurerius artium doctor id libelli veluti
» primitias ex officina sua impressoria foeliciter emisit, die
» VIII. junii a. MDVIII."

A. 1509. *Sermones* quosdam *Ambrosii Camaldul.* cum præfatione sua ad Martinum Egershemium, populi Selestadi-
ni pastorem, publicavit. In rubris librorum suorum nunc *Selestadensem*, nunc *Helvetensem* se vocat, Wimpelingii at-
que Rhenani conjectura nixus, qui Helvetum veterem in Selestadio quæfiverunt. (l) Hoc sensu WIMPHELINGIUS (m)
Alfatas appellavit *Helvetios*. Unde Schurerius noster Hel-
veticis quandoque male annumeratur typographis. (n)

§. 21.

WOLFGANG KOEPFEL prope forum equinum offi- Koepfel.
cinam suam habuit. Capito, Zellius, Bucerus, sacrorum
apud Argentinenses mutatorum auctores, typographo hoc,
ut & Knoblochio, usi sunt. Anti-Lutherana Gruningerus
impressit. Doctor Wolfgang Fabritius Capito, Hage-
noënsis origine, vernaculum forte nomen *Kœpfel* mutavit
in *Capito*, ejusque exemplo typographus, Capitonis gen-
tilis, Græca appellatione *Cepbaleum* se dixit. Id certum,
quod sub nomine utroque in rubro librorum compareat;

(k) §. 12. pag. 103.

(l) Vid. *Alsatia Illustr.* tom. I. pag. 204.

(m) In *Opusculis* PETRI SCHOTTI fol. 186.

(n) ENGEL in *Dissert. de Origine Typographiæ*, Bernæ edita
a. 1742.

Latinum Capitonis nomen, ob reverentiam in Wolfgangum agnatum, assumere non ausus. A. 1523. *Apologiam* Germ. *Matth. Zellii* contra Episcopalem procuratorem fisci; sequenti *Liturgiam* minimæ formæ, quæ in articulo eucharistico Zwingliani est ritus; (o) nec non *Capitonis* scriptum Germ. de lite inter Lutherum & Carolstadium; a. 1525. ejusdem *Capitonis Institutiones Hebraicas*, Wolfgangus *Kœpfel* typis suis vulgavit. A. 1534. idem & *Petrus Brubach* *Homeri Odysseam* Græce ediderunt in forma octava.

Wolfgangi hujus filii fuisse videntur *Paulus* & *Philippus Cephaleus*, typographi fratres, qui a. 1554. *Corvinum* in Evangelia & Epistolas Dominicales, biennioque post *Luciani Dialogos*, Græce & Latine, cum Scholiis e prelo suo emiserunt.

§. 22.

Rihelii.

His omnibus ex seculo quoque XVI. Rihelios subjungo, quod typographiam Argentinensem suis prelis illustrarunt. Triga eorum, Wendelinus, Josias, Theodosius, in libris occurrunt. Primus comparet Wendelinus, Calvini, cum Argentinæ degeret, & Jo. Sturmii, quin & Joannis Sleidani, amicus. Hic *Biblia Germanica Lutberi* anno 1535. *Calvini Institutiones* a. 1539. & 1543. primam *Sleidani Commentariorum* editionem a. 1555. impressit, ac paulo post vita decessit. Anno 1556. *Aristotelis Ethicam*, cura Jo. Sturmii, Græce excuderunt Wendelini heredes. Secundam *Sleidani* editionem Josias Rihelius anno 1559. dedit. Utraque formæ majoris est. Uterque frater, Josias &

(o) Rubrum ejus: *Deutsche Mess wie sye yetzundt zu Straßburgk gehalten würt.*

Theodosius, Wendelini filii, per seculi XVI. decursum & ultra sequentis initia, libros magno numero separatim evulgarunt.

Ceterum Rihelii genus suum Basilea ducere videntur, vulgo dicti *Richel*. Bernhardus Richel a. 1474. *Speculum Saxonicum*, (p) a. 1475. *Roberti de Licio opus quadragesimale*, (q) omisso nomine suo; a. 1478. *Card. Hugonis Postillam*, (r) Basileæ impressit.

Rihelii apud Argentinenses eo loco, quo apud Basilienses Frobenii, apud Francofurtenses Wechelii, habebantur.

§. 23.

Sed & præter enumeratos hætenus typographos Argentinenses, primo typographiæ inventæ seculo claros, alii quoque infimæ classis fuerunt: BARTH. KYSTELLER, (s) CHRISTIANUS EGENOLFF, (t) MICH. MAYER & BALTH. BECK, (u) GEORGIUS ULR. ANDLANUS, (x) CRATO MYLIUS, (y) Reliqui.

(p) PROSPER MARCHAND. pag. 65. ex SCHAMELII *Numburgo Literato*.

(q) LESSERI *Typographia jubilans* Cap. 2. pag. 82.

(r) *Lexici Histor. Basil.* supplem. in voce *Richel*.

(s) Impressit *Legendam de S. Anna & Tract. de fraternitate Rosarii Virg. Mariæ* a. 1501. 4to. *Foltzens Büchlein von den warmen Bädern, in Teutschen reimen*, a. 1504. Officinam suam habuit am *Grüneck*, *Kustler* alias dictus.

(t) *Boleri Scholia in orationem Ciceronis pro Archia Poëta* 8. 1530.

(u) *Josephi Jüdische Historien, Teutsch durch D. Cass. Hedio*, fol. 1531. Balthasar Beckius solus annis sequentibus nominatur in libris.

(x) *Zmaragdi Abbatís in Evangelia & Epistolas explicatio* fol. 1536.

(y) *Joach. Camerarii Commentarius explicationis Iliados Homeri*

JACOBUS JUCUNDUS, (z) BLASIUS FABRICIUS, (a) SAMUEL EMMEL, (b) quos nominatenus nosse sufficiat.

§. 24.

Typogra-
phiæ abu-
sus.

Typographia vix in lucem prodierat, quum & abufus prodiret, qui Argentinensem denique Senatam coëgit, ut typographis injiceret frena. Notat hos abufus JACOBUS WIMPHELINGIUS in *Isidoneo Germanico*, (c) ubi hæc obfervat: "Impreffores nonnulli & eorum caftigatores libellis & commentariis inutilibus & fupervacuis infignes atque præftantes titulos effingunt, quibus delufa Juventus facilius opera a fe impreffa precio comparent, nec fatis putant laudari poffe, quicquid ipfi noviter imprefferunt. Glofas enim in Alexandrum & hujufmodi præftantiffimas notabiles aureasque non verentur appellare, novaque novis exaggerant propter privatam fuam utilitatem. De fructu vero & incremento ftudii nihil ad eos attinet. Sed quid mirum, fi petulantia & avaritia imprefforum fraudibusque in puerilium opufculorum, quibus juventus deluditur, editionibus magna fit conceffa libertas, cum nemo fit vel infulatorum, qui eos cogat, in rebus fidei & religionis noftræ imprimendis honeftum moderamen & juftam limam adhibere. Sinunt enim flamines pæpe in caftigatiffimis rei divinæ morum & orationum impreffionibus univerfum clerum decipi, ære nequiter

1538. & 1540. Item *Cominæ Historia*, interprete Jo. Sleidano 1545. 4to.

(z) *Croci Comædia Sacra*, cui tit. *Joseph*, 1542. 8vo.

(a) *Oelingeri Juris Elucidatio* 1555. 8vo.

(b) *Vita Fl. Josephi* Germ. per Casp. Hedionem 1556. fol.

(c) Cap. 16.

„ deftitui,

„ destitui, totasque diœceses suas vitiosis falsissimisque li-
 „ bris turpissime contaminari.

Censores itaque librorum Argentorati jam a. 1504. sunt constituti. Omnis librorum vel schedarum prohibita impressio, in quibus aliquid contra Papam, Imperatorem, Principes aut Civitates, vel contra bonos mores contineretur. Jussu Senatus hæc Typographis proposita sunt a Petro Arge, Consule, præsentibus Jac. Mugio & Conrado Duntzenhemio, Prætoribus; eademque renovata a. 1513.

Typographi nostri ab initio suos quoque librarios, scri-
 bas vel *Clericos* habuerunt, qui libros imprimendos descri-
 bebant, & prelo submissos corrigebant. Ante inventam Librarii.
 typographiam in Argentinensibus catastis a. 1433. Joannes
 Kirchheimensis librarius (d) & Elsa uxor occurrunt. De
 librariis his Argentorati anno 1472. exorta est quæstio, an
 ad jusjurandum adigendi. Magistratus eos a jurisjurandi
 præstatione jussit esse immunes. Quin & eodem anno de
 lege & norma typographis præscribenda in Senatu relatum.

(d) *Job. von Kirchheim, Bucherschreiber.*

